Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 433
Quelle:
Copyright:

violentia. Ita *Tytuli Geneſ. Maria celum, lux, terra fructificans, dies complecionis, fons irrigacionis* &c. quae ſingula deinceps explicantur. Ordo Librorum in noſtro Exemplo non ſatis obſervatur; occurrit enim *Oſee* ante *Daniel*, quibus terminatur Codex. Biblia haec a *Vinc. Juſtiniano* O. P. in antiqua Conventus ſui *Suſatenſis* Bibliotheca reperta et *Alberti M.* nomen praeferentia *Coloniae Agripp.* primum 1625. lucem adſpexiſſe tradit *Hippol. Marraccius* in *Biblioth. Mariana* P. I. p. 28. ad *Albertum*. Nunc in hujus *Opp.* omnibus *Lugd.* 1651. a *Petro Jammy* f. curatis locum in T. XX. tertium occupat.

Fol. 53. *Incipiunt Cantica Canticorum.* Non jam de B. V. *Maria*, ſed generatim expoſita, idque ſuccincte. Ingreſſus eſt hujus tenoris: *Salomon inſpiratus diuino ſpiritu compoſuit hunc libellum de nupciis chriſti et eccleſie et quodammodo epitalamium fecit chriſti et eccleſie* &c. Obſcuritatem ejus inde deducit, *quia nulle ibi commemorantur perſone, quia ſtilo comico compoſitus eſt.* Dramaticum dicere voluit. Expoſitio incipit: *Oſculetur me oſculo oris ſui. Deſiderantis vox eſt ſynagoge chriſti aduentum, quaſi diceret. Tociens mihi aduentum ſuum promiſit* &c. Imperfectam puto; nam ſiſtit ad C. VIII. v. 5. his verbis: *Vnde cum Apoſtolo dicebat: Gratia dei ſum id, quod ſum.* Inter tot *Canticorum* Interpretes, quorum unus ab altero mutuatus eſt, difficile eſt digitum intendere.